

Sacerdotes simplices non participantes de Massa capitulari Collegiatae Martinae Dioecesis Tarent. non posse per Ordinarium cogi ad interessendum in choro cum cotta diebus festivis. n. 2929 die 7. Dec. 1680.

15) Ordo sedendi.

a) Canonicorum.

Vd. *Canonici Cathedr.* (praeced. inter sese).

b) Sacerdotum inferior.

Vd. *Sessio; Sedes.*

16) Ornatus.

ROMANA.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitibus hodierna die ad Quirinale habitis, per infrascriptum Secretarium proposito pro opportuna solutione sequenti Dubio, nimirum: Utrum Canonici sacris induti Vestibus adhibere possint Chorum paratum vulgo *di damasco, seta, o velluto*, dum solemniter Sacra peragit Episcopus in sua Dioecesi, vel Cardinalis Titularis in propria Ecclesia? Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature diligenterque examinata, rescribendum censuerunt: „In Choro stabili non licere.“ n. 4734. Die 6. Septembris 1834.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Ex ipso Caeremoniali Episcoporum eruitur jure datam a S. R. C. responsionem fuisse. Sane ea quae ornari vel possunt vel debent clare Caeremoniale indigitat vel praecipit, si de Choro silet, hoc ipsum silentium demonstrat omnem ornatum ab eo excludere voluisse. Verba quidem facit de ornatu Cathedrae vel Sedis Episcopalis, quomodo scilicet sit ornanda toto anni decursu, quomodo diebus

solemnioribus, quomodo in Matutinis Tenebrarum et in Missis defunctorum. Item loquitur Caeremoniale de ornatu Sedium pro nobilibus atque illustribus viris, pro magistratibus ac principibus, easque dum juxta Sacrorum Canonum praescripta laudabiliaque antiquae disciplinae documenta inde ab exordiis Christianae Religionis introductae ac longo tempore observatae, praecipit eas extra chorum esse collocandas, easdem pariter plus minusve pro cuiusque dignitate et gradu ornandas esse praescribit, nullum autem verbum quod Chori ornatum respiciat. Jam cur tam accurate Caeremoniale de his sedibus earumque loco et ornatu agit, nihil vero de ornando Choro habet, et altum de hoc silentium servat? Certe quia Chorum nullimodo ornandum esse putavit, atque licet expresse non prohibeat, tacite tamen omnem ornatum Chori improbare dicendum est: et fortasse per eam quae intercedere debet differentiam inter Cathedralam Episcopalem et Canonicorum aliorumque subsellia. At animadvertet fortasse aliquis: a S. Congregatione hi Chori fixi dicuntur, et ab his ornatus excluditur. An dantur Chori, qui possunt ornari? Dantur utique, et per eam differentiam, quae est inter hos et Choros fixos, possunt, ne dicam debent, quandoque necessario ornari. Sane evenit non semel ut Officia non in praecipuo, sed in alio aliquo peragantur Altari, in quo Chorus non adest; tunc necesse est ut scamna portatilia in eo ponantur, et cum his Chorus efformetur, haec autem cum persaepe villiori sint ex materia, et ut plurimum ex rudi ligno, si ornatu careant, indecora prorsus videntur, nec majestati sacrarum actionum respondent. Ut igitur omnis deformitas videtur, et decus omne in divinis celebrandis Officiis servetur, haec scamna, quibus hoc in casu constat Chorus, ornari

possunt, immo et debent, et Sacra Congregatio tacite in his ornatum permittit per ipsam enunciationem in responsione positam nempe: *Chori fixi*; a quo ornatum excludit. Et magna est differentia inter Choros fixos et scamna portatilia, in qua sita diversa ratio est vel ornandi, vel non. Scamna enim haec cum sint minus decora, ornanda sunt ob decentiam, quae debetur divinis rebus et Ecclesiae.

Quae ratio haud quidem Choris fixis potest aptari: sunt enim semper ex pretiosa materia eleganter elaborati, et nonnulli tales sunt, ut de his dici possit materiam ab opere superari, quo in casu eos ornare idem fere esset ac aurum argento oblinire, vel plumbo aut stamno pretiosum aliquod metallum obtegere. Nullam proinde vim haberet ratio, quae deduci posset a scamnis portatilibus, quae ornari possunt ad Choros fixos ornandos, quod a S. Congregatione denegatum est.

17) Reverentia Cleri invicem.

Vd. *Benedictio in Matutinis; Reverentia; Vicar. gen.* (reverentia); *Magistratus* (reverentia).

Capellani de Massa tenentur assurgere et stare detecto capite, quando Canonici chorum ingrediuntur, Concipellani vero ex urbanitate possunt. n. 2083 ad 7 (2do loco) die 18. Dec. 1660.

Ad relationem, quod Episcopus Trident. in Synodo decrevisset, ut omnes Presbyteri, etiam Capitulares choro adstantes, in egressu Canonici in ipso choro, assurgere debeant; utque ipsi Canonici viceversa in egressu presbyteri quamvis Capitularis, solum biretum levare debeant. S. C. resp.: *Parviant decreto.* n. 2234 die 16. Jun. 1663.

Reverentia ab his, qui a choro discedunt celebrandi causa vel alterius necessitatis primae Dignitati in choro

existenti exhibenda est. n. 2813 ad 2 die 13. Feb. 1687.

Inferiores Canonici non tenentur surgere Canonici ingredientibus chorum. n. 3535 ad 2 die 3. Octobris 1699.

JANUEN.

In insigni Collegiata Ecclesia S. Mariae de Remedio Civitatis Januensis a sua prima institutione extat consuetudo reverentiam praemittendi Praefecto Chori ad initium Psalmodiae, id est ad ingressum, ad initium Primae de mane, et ad quascunque Horas quum interponitur aliqua Missa, et post Missam Feriae in Quadragesima. De sero autem in principio Chori, post Completorium, annunciando *Pater noster Matutino*, et antequam inchoetur *Domine labia mea aperies*. Quam vero in praesentiarum Mansionarii, et Capellani renuant sequi in parte tantum hanc consuetudinem omitendo reverentiam ante Horas, post Missam, ad Vesperas itidem, et ad *Domine labia mea etc.*, Abbas hodiernus enunciatae Ecclesiae, illiusque Canonici S. R. C. humillimis precibus adivere efflagitantes, an servari debeat antiqua consuetudo, et etiam dum tempore Quadragesimae de sero Completorium dat initium s. Psalmodiae? Quae in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, re attente considerata, ad relationem subscripti Pro-Secretarii respondendum censuit: „Laudabilem consuetudinem in omnibus esse servandam.“ n. 5172. Die 25. Sept. 1852.

Ad dubium: In mortuorum Officiis, in Matutinis Tenebrarum, per integram Feriam VI. in Parasceve ac Sabbatho S. usque ad Missam Solemnem exclusive, si quis superveniat vel egrediatur, Officio jam inchoato, teneturne alios de Choro circumstantes salutare? Silent de hac re Caeremoniale Episco-

porum et Rubricae? Rescriptum prodiit:

„Servandas peculiare locorum consuetudines.“

Atque ita rescribere rata est, propositaque Dubia declarare. n. 5208 ad 15. die 12. Aug. 1854.

18) Reverentia Episcopi.

Ad dubium: an quando Dignitas seu Canonicus hebdomad., postquam celebraverit, ad chorum regrediens, Praelatus existens in choro surgere debeat vel caput detegere eo tunc, quod hebdomadarius reverentiam exhibet? S. C. resp.: Negative et sufficit quod Episcopus producat signum crucis super eum. n. 3551 ad 24 die 13. Mart. 1700.

Vd. *Reverentia erga Episc.*

19) Quando standum?

Cf.: *Antiphonae* (intonatio etc.).

Non est de usu Ecclesiae rom. surgendi in recitatione cujuslibet psalmi ad Laudes et in Vesperis et in recitatione Completorii, prout neque in Antiphona tam ante quam post Magnificat. n. 2342 ad 15 die 31. (Julii) 1665.

Praepositus debet surgere, quando unus ex Canonicis cantat in choro antiphonam sibi delatam a chorista, adstantibus aliis Canonicis. n. 3508 ad 3 die 21. Mart. 1699.

20) Tempus.

Vd. *Missa convent.* (tempus, decr. n. 4086); *Nativitas D. N.* (Off.); *Tabella pro funct.* etc.

SSmo. D. N. Pio VII. P. M. exposuit Rmus. Episcopus Boven. suae Cathedralis Capitulum et Clerum haudquaquam posse absque valetudinis detrimento, statis horis hyemali tempore Ecclesiam illam in montanis positam, et humiditatibus ac frigore inclementer obnoxiam petere Sacris interfutu-

rum et Divina persolutorum; proptereaque petiit humiliter, ut antedictis Capitulo et Clero facultas fieret, in posterum ea tempestate semel in die, et opportuniori hora ad eandem accedere Horarum Canonicarum onus adimplendi causa, Missaeque conventualis celebrationem. Et S. S., attentis expositis, ac veris existentibus narratis, infrascripto S. R. C. Assessore referente, Rmi. Episcopi precibus annuendo, benigne indulxit, ut Canonici aliique Sacerdotes et Clerici Cathedralis Boven. servitio addicti, possint et valeant hyemali tempore, nimirum post Festum Sanctorum omnium, usque ad majorem Hebdomadam exclusive, semel in die ad eandem Ecclesiam accedere, ibique tam Matutinas, quam Vespertinas Horas, nec non conventualem Missam, sine interruptione, persolvere, ita tamen ut Completorio post Meridiem finis imponatur. Diebus vero Dominicis, Festivis, et magnae solemnitalis, statis horis de more Divinis in Choro vacandum fore decrevit. Quibuscumque in contrarium non obstantibus, die 11. Julii 1820.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Etsi jure cautum sit, ut Horae canonicae statis horis in Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis persolvantur: nihilominus nonnullae quandoque concurrunt circumstantiae, quae plane suadent, aliquid remittendum, aliquid esse indulgendum. Id accidit in casu proposito, quum Cathedralis Ecclesia in montanis sita sit, aedes Canonico-rum, aliorumque inservientium longe distent, difficilis sit accessus hyemali tempore ob aëris inclementiam et viarum difficultatem. Hisce incommodis occurrere volens Sacratissimus Princeps, ita legis rigorem temperavit, ut Ecclesia debito non fraudaretur servitio, et personarum incolumitate provisum foret.

S. MARCI et BISIANEN.

Reverend. Domine uti Frater.

Accepta a S. R. C. Amplitudinis Tuae Informatione, et Voto, quae juxta illius voluntatem dederas septimo Cal. Maj. vertentis Anni super supplici Libello, Dubiisque in propositis a Sacerdote Vincentio Campagna Canonico Theologi istius Cath. Ecclesiae S. Marci, super iisdem de more actum est in Ordinariis ejusdem S. C. Comitibus ad Vaticanas Aedes subsignata die coadunatis. Ex omnium allegatorum examine, vel ex iis etiam, quae peracta sunt apud S. C. Patrum Conc. Trid. Interpretum contra lividos recursus supradicti Canonici, Emi. P. ad rem omnem conciliandam satius duxerunt duplici forma rescribere Canonico nimirum: ut ad Amplitudinem Tuam recursum haberet super expositis, et ipsi Amplitudini Tuae scriberetur juxta Mentem. Prudenti hujusmodi consilio via intercluditur Canonici Campagna livori, ac odio contra primam ejusdem Capituli Dignitatem, et Episcopalis Dignitas, et auctoritas sarta tectaque relinquatur, dum nullum recipit super Dubium directum responsum, et lex illi impungitur ad Ordinarium conveniendi, ut res componi queat atque ad debitum ordinem, quatenus opus fuerit, revocari. Mens itaque hujus S. C. est, ut Amplitudo Tua pro sui muneris parte omnem sollicitudinem, curamque omnem impendat, ut in S. Marci Capitulo debitus quoad Chorum servetur ordo, et si qui abusus forsitan irreperint de medio tollantur. Hujus generis procul dubio esset et a pluribus Decretis jam interdicta consuetudo recitandi Sextam et Nonam dum per Cantores ex Organo expletur decantatio Missae, quae aliquando, ne tardior protraheretur hora Chori post meridiem, effecta est a Canonicis et Mansiona-

riis in Choro posito post Altare majus, siquidem omnis obligatio Chori successive semper, et non simultanee est adimplenda, et juxta praecitata Decreta neque Amplitudo Tua amplius hoc permittat, omnemque facultatem super Praefecto Chori adimat, adeo ut in posterum nullimodo, nulloque in casu initium habeat recitatio Horarum Sextae et Nonae in Choro, nisi perfecte expleta solempni Missa. Nec dissimili modo ad observantiam revocanda est debita praesentia in Choro omnium inservientium, praesertim in Anniversariis celebrandis, quae idcirco dicuntur inter praesentes, super quo certe opus non est insinuare oneratam Amplitudinis Tuae conscientiam remansuram, si secus fieret, omnemque adhibendam esse diligentiam, ut res in aperto ponatur, nec ulli quaerelae locus relinquatur. Emorum denique Patrum in voto fuit Amplitudini Tuae opportunum praebere consilium, ut quoniam novum omnino est ponere in Choro vas prunarum hyemali tempore, quod certe assertis incommodis locum praebere aliquando poterit, satius esse ut removeatur a Choro, et juxta omnium morem Ecclesiarum ponatur in Sacratio, ad quod pro opportunitate accedere potuerunt omni secluso scandalo ii, qui vel per aetatem, vel non firmam valetudinem his opus habent. Summa religio, pietas, ac Amplitudinis Tuae sollicitudo peculiaris ad decorem Domus Dei procurandum, promovendumque, S. C. in spem erigant, ut si quis forte abusus super adsertis irreperit Cath. in Ecclesia S. Marci, ille quantocius de medio tollatur. Et Amplitudo Tua diu felix, et incolumis vivat. n. 4835. Die 19. Maji 1838.

Rmo. Domino uti Fratri Episcopo S. Marci et Bisianen.

Ad petitionem Capituli Cath. Dertan.: Ut a Festo omnium Sanctorum ad Pascha usque Resurrectionis incl.

anticipare queant in Choro post Vesperas et Completorium Matulinum cum Laudibus insequentis diei. —

Emus. et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . . rescribi mandavit: Pro gratia, a Festo tamen omnium Sanctorum usque ad Pascha Resurrectionis excl.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 4924 ad 1 die 22. Maji 1841.

Canonicos Examinatores non lucrari distributiones quotidianas, quia examen potest fieri hora commoda extra tempus, quo tenentur assistere in choro. n. 339 ad 2 die 7. Mart. 1607.

CHRISMA.

a) In Baptismo.

Vd. *Baptismus* (oleum).

b) In Benedictione.

Vd. *Benedictio* (chrisma).

S. CHRYSOLOGUS.

Vd. *S. Petrus Chrysologus*.

S. CHRYSOSTOMUS.

Vd. *Cognomina*.

CIBORIUM.

Vd. *Pyxis*.

CINERES.

(Fer IV. Cinerum.)

1) Benedicens et Missam celebrans.

Vd. *Purificatio B. V. M.*; *Campana*.

Missam solemnem in fer. IV. celebrari debere per distribuentem Cineres. n. 1131 die 26. Mart. 1639.

Episcopum posse cogere per censuras, ut, qui benedicit cineres, candelas etc., prosequatur etiam Missam. n. 1663 die 22. Mart. 1653.

Benedictionem cinerum fer. IV. cinerum, candelarum et palmarum spectare ad primam Dignitatem, modo Officium prosequi et missam canere velit; alias ad hebdomadariam pertinere. n. 1977 ad 1 die 29. Martii 1659.

Benedictionem candelarum, cinerum etc. spectare ad Praepositum Collegiatæ, quatenus celebret, sin minus ad Celebrantem. n. 2204 die 17. Mart. 1663.

Absente vel impedito Episcopo jus celebrandi missam spectare ad illum, qui facit benedictionem palmarum, cinerum et candelarum. n. 2299 die 22. Nov. 1644.

Servari potest consuetudo (Cathedralis Conimbricen.), ut fer. IV. Cinerum Canonicus turnarius impedito vel nolente Episcopo, cinerum benedictionem peragat et missam cantet. n. 4233 ad die 14. Apr. 1752.

Ille idem, qui benedixit Cineres . . . debet etiam missam cantare sequentem. S. R. C. 26. Feb. 1628; 12. Apr. 1640.

2) Benedictionis tempus.

Ad dubium: an benedictio publica s. Cinerum prima die Quadrag. facienda sit post Tertiam? S. C. resp.: Servandas esse rubricas. n. 3575 ad 4 die 24. Jan. 1701.

Benedictio publica s. Cinerum faciendi in fer. IV. post Dom. Quinquag. non potest fieri post Tertiam sed post Nonam. n. 4136 ad 4 die 19. Jan. 1743. Cf. *Missæ conv.* (tempus).

3) Bened. cor. expos. SSmo.

Vd. *Bened. Palmar.* (cor. expos. SSmo.).

4) Dies.

Fer. IV. Cinerum cadens infra octavam — vd.: *Preces* (decr. n. 4044); *Fest. ss. Cord. Jesu* (com. hujus festi; decr. n. 4604).

Non transf. potest Officium in fer. IV. ciner. Vd.: *Ibid.* (decr. 4604); *Dies cinerum. Dies octavae.*

5) Distributio.

a) Finita Missa.

Ad dubium: Utrum Sacerdos in Missa privata Sacris indutus Paramentis possit Cineres distribuere, et Sanctorum Reliquias deosculandas praeberere, uti mos est in Veronesi Dioecesi, expleta Missa?

Et quatenus affirmative: an possit sibi imponere Cineres prius imponere genuflexus coram Altare nihil dicens? S. C. resp.: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“ n. 4707 ad 5 die 16. Mart. 1833.

b) Ordo Cleri.

Ad dubium: an simplices sacerdotes assistentes Canonico solemniter celebranti in officio Diaconi et Subdiaconi debeant praecedere Dignitatibus et Canonicis in functionibus accipiendi palmas, cineres et candelas? S. C. resp.: Standum esse Caeremoniali Lib. II. c. XVII. n. 2. n. 2240 die 4. Aug. 1663.

c) Ordo Laicorum.

Servandum esse Caeremoniale Episcoporum in distribuendis cineribus, candelis et palmis Consulibus et Magistratibus Plebis prope Centum Bonon. Dioecesis. n. 2535 die 21. Martii 1671.

Magistratus admitti non debet post Canonicos ante Beneficiatos caeterosque de Clero ad Cineres. n. 3915 ad 6 10. Sept. 1718.

d) Per domos.

Guardiano Min. Observ. Reform. non licere se conferre ad domos habitantium sub ejus parochia, eisque distri-

buere in iisdem domibus cineres . . . prout introduci exposuit. n. 2441 die 2. Junii 1668.

6) Distributor.

Vd. *Confessar. Monial.*; Celebrans capite detecto distribuit, vd.: *Purificatio B. V. M.* (modus).

Potestne Distributor sibi imponere Cineres? Vd.: *Cineres* (distributio fin. missa; decr. n. 4707); *Cineres* (Benedicens et miss. celebr.).

7) Modus receptionis.

Vd. *Purificatio B. V. M.*

Hebdomadarii Metrop. Neapolis tenentur recipere cineres genuflexi. n. 4248 ad 3 die 7. Sept. 1754.

8) Qui?

Cineres aridos debere esse et in modum pulveris in Ecclesia universalis. n. 197 ad 6. die 23. Maji 1603.

CINGULUM.

1) Color.

Episcopus Minerv. etiam auctoritate Congregationis Archipresbyterum Corignolae nullius Dioecesis cogat ad deponendum cingulum violacei coloris, quem uti Protonotarius de numero non Participantium defert in pileo, nisi docuerit de speciali Sedis apostolicae indulto. n. 1895 die 8. Junii 1658.

Cingulum esse posse colore paramentorum. n. 3809 ad 4 die 8. Junii 1709.

2) Materia.

Ad dubium: an Sacerdos in Sacrificio Missae uti possit cingulo serico? S. C. resp.: Congruentius uti cingulo lineo. n. 3575 ad 7 die 22. Januarii 1701.

Vd. *Paramenta* (materia).